



**L**Vdouicus ex honesta familia Pfifferorum, atque ex D. Ludouici Charini sorore Lucernæ apud Heluetios natus est, anno circiter 1530. Is cum prima literarum rudimenta cognouisset, atque adolefcere cœpisset, statim armorum studia amplecti, & Heluetiorum castra sequi uoluit. Itaque in Gallia stipendia meruit, atque paulatim sua fortitudine & prudentia effecit, ut ei honesta militaria officia commissa fuerint. Postea quoque ordines duxit, atque rei militaris magnam sibi notitiam comparauit. Accedebat etiam uitæ integritas, & rerum expediendarum singularis quædam dexteritas. Hinc factum ut anno 1562, cum cruentum illud & intestinum Gallorum

bellum, sub religionis titulo, esset exortum Ludouicus ille Helueticæ phalangis dux atque moderator electus fuerit. Itaque prælio, quod cum Germanis equitibus pridie S. Thomæ, magno animo commissum erat, interfuit, atque nihil intermisit, quod & strenui ducis & fortissimi militis interesse uideretur, ita ut etiam cruentam uictoriam adeptus, hostem loco mouerit. Deinde uerò pace recuperata militem domum reduxit, atque in patria magna autoritate uixit. Hoc modo is etiamnum pergit, & cum Iodoco fratre uiro prudentissimo ac Lucernano Prætoze, patriam suam plurimum exornat. Anon.